



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

§. III. Mens M. Mercuri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

denter doceat oppositum meo n. 78? ait enim, quod si utraque pars sit æquè tuta, & æquè probabilis, quamlibet amplecti possum? 3. Quia Doctores citati, quorum formalia verba Candidus nō trahit, unicè volunt ut ex eorum loquendi modo constet (ut dicam infra) quod, nisi deponatur dubium, neutram ex æquè probabilibus sequi possum, quod certum est. 4. Quia interpretatio, quam Candidus dat Doctoribus à se citatis, est contra ipsam; explicat enim eos dicere, quod neutram ex æquè, aut quasi æquè probabilibus sequi possumus, quia pariunt dubium in intellectu: punctum erat ostendere, quod necessario generent tale dubium, & intellectum necessario tunc hæere suspensum, quod numquam probabit, immò meo n. 79. tenet evidenter oppositum, & nos hoc ipsum fute docuimus *disp.* 8. ex eodem Candido.

Septimum, quod satis mirari non possum, est apertissima Philaleti contradictio, nam q. 2. per totam, fute docet intellectum non esse liberum opinari, & non pendere ab imperio voluntatis; ex quo q. 4. pag. 60. deducit, ut constet ex ejus locis à me citatis d. 8. *sect.* 3. §. 3. intellectum non posse assentiri alterutri ex æquè probabilibus; modò autem in præfati meo n. 78. 79. 80. expressè docet intellectum assentiri posse æquè probabili, si sit æquè tuta; & totam rationem hujus refundit in voluntatem, quæ quia videt unam opinionem esse sibi magis commodam, quam aliam, potest imperare intellectui, ut huic, præ alterâ æquè probabili, assentiatur; quæ est ipsissima nostra doctrina, quam contra Philaletum fundavimus d. 8. *sect.* 3. per totam. Combina, benevole Lector, responsum Candidi, quam dedi hic n. 79. cum doctrina nostrâ, quam dedi d. 8. l. c. eo enim ipso, quod Candidus dicat, quod licet intellectus non judicet unam esse magis eligendam, quam aliam, ut certum est, quia supponitur, quod utraque sit æquè probabilis; potest tamen, ait Candidus, alterutram ad libitum eligere, quatenus una est magis comoda; sequitur evidenter, quod voluntas proposito motivo maioris commodi possit imperare assensum huic parti, præ oppositâ. Ubi nota, quod maius commodum non est ratio movens intellectum ad assensum; ex gr. Non licet damnare innocentem probatum ut reum; atque adeo, etsi tunc detur maior ratio, hæc spectat ad voluntatem; movet enim voluntatem, ut imperet assensum ad A, præ B; non autem datur maior ratio ad assensum A, præ B. Quod quia Candidus non advertit, ideo sibi manifestè contradixit,

dum q. 2. docuit intellectum hæere necessario suspensum inter probabilia; & q. 6. docuit posse intellectum assentiri alterutri æquè probabili æquè tute.

Quare Caram. in *Dialexi*, in *Epist.* quâ N. examinat mentem C. Pallav. P. Valqu. P. 87. Salas, Spinule, & Philaleti, loquens de Philaleto pag. mibi 339. dixit: Ejus doctrinam multi contra communem, & receptam in Scholis objiciunt, (nempe non esse licitum sequi minus probabilem in concursu probabilioris) & ut verum fateor, in pluribus à semita trita à doctis se subtrahit; tanta tamen est veritatis vis, ut velit, nolit, ad nos interdum redeat, & nostram sententiam admittat. Hæc Caram. de Philal. quod pluribus Anti-Probabilistis aptari potest.

## §. III.

Mens Magistri Mercori.

## SUMMARIUM.

*Vult*, in conflictu opinionum probabilium tutiorem esse eligendam, n. 88.

*Vult esse peccatum sequi minus probabilem relictâ probabiliori*, ibid.

*Ait*, eligendam tutiorem tam in dubio facti, quam juris, n. 89.

*Vult*, sequendam tutiorem probabiliozem, ibid.

*Ait*, esse peccatum sequi minus tutam probabiliozem, si tutior sit probabilis, ibid.

*Ait*, minus tutam tunc tantum licere, quando est certa, n. 90. 91.

*Ait*, licitum sequi minus tutam minus intrinsecè probabilem, si fiat probabilior ex motivo extrinsecò; & plura trahit motiva extrinsecò, n. 92.

*Ejus contradictiones à n. 93. ad 96.*

*Præcipua est*, quod cum obliget semper ad tutiorem, dummodo sit probabilis, & omittendam minus tutam, etsi probabiliozem, tandem vult, sæpius accidere posse, licere sequi minus tutam minus probabilem ex motivo intrinsecò, dummodo sit probabilior ex extrinsecò, n. 95.

*Nullus Probabilista tot trahit motiva extrinsecò pro licito usû, quot M. Mercor. pro eodem*, ibid.

*Inductio opinionum minus tutarum M. Mercori*, n. 96.

**D**ocet i. in Præfatione ad Lectorem in N. opinionum probabilium conflictu tutiorem partem esse eligendam: 2. ait 2. p. art. 8. esse peccatum sequi minus probabilem relictâ probabiliori: 3. ait 2. p. art. 7. intellectum non posse assentiri probabiliori, stante quasi æqualiter probabili: 4. ait 2. p. art. 9. M. Mer. sequendam probabiliozem stantem pro lege; si autem

fi autem queratur, an quando stans pro lege est minus probabilis, sequenda sit probabilior stans pro libertate; ad hoc, quod est præcipuum punctum, nihil dicit, nam unice dicit, quod sequenda sit probabilior, negans hoc licere, quia eam sequens non potest Deum offendere: 5. ait 2. p. art. 10. pag. 114. Eligenda est tutior, tam in dubio facti, quam in dubio juris; & pag. 115. ait: Universaliter sectanda est probabilior, quæ favet præcepto, seu probabilior, & tutior; & art. 11. pag. 116. ait in omni casu dubij esse peccatum sequi minus probabilem, quando est in conspectu probabilioris, quæ favet præcepto, quod non est nisi dicere, sequendam in omni dubio probabilem, & tutiorem: 6. ait 2. p. art. 11. initio: Est sententia omnium DD. eligendam partem tutiorem, etsi sit minus probabilis, quando favet indemnitati proximi; supponit igitur, ut ex ejusdem decisione constat, eligendam semper tutiorem, etsi minus probabilem: 7. ait 2. p. art. 21. pag. 161. non tantum esse peccatum sequi minus probabilem affirmantem actum esse licitum, seu minus tutam, sed etiam esse peccatum sequi magis probabilem affirmantem actum esse licitum, id est, minus tutam, quoties adest opinio probabilis negans. Vult ergo sequendam semper tutiorem, seu stantem pro lege, etsi minus probabilem; & pag. 162. vult non posse nos licite sequi opinionem minus tutam, nisi sit certa: 8. ait 3. p. art. 6. pag. 219. Regula eligendi opinionem non est maior, aut minor probabilitas, sed probabilitas cum carentia periculi offendendi Deum; unde si aliqua sententia sit minus probabilis, dummodo sit tuta, etsi opposita sit probabilior, & non tuta, adhuc minus probabilis eligenda erit in praxi. Ecce destructum per hoc ipsius M. Mercori duplex principium; primum, quod intellectus non possit assentiri minus probabili, stante probabiliori; secundum, quod veritas ut plurimum uniatur probabilioritati. Neque te moveat, Lector, tunc non tuta appositum à Merc. nam pure significat opinionem stantem pro libertate, ut ait art. citat. §. Ad cujus evidentiam; ait enim: Quæ favet libertati, non est tuta ex sua natura, nisi sit certa; quæ favet præcepto, etsi non sit certa quoad veritatem, est tamen ex natura sua tuta: 9. querit 3. p. art. 7. an in Moralibus juxta aliquam limitationem eligi in praxi possit minus probabilis, relicta probabiliori, (loquitur autem de minus probabili favente libertati) seu minus tuta, nam art. 6. docuerat, loquendo de minus probabili favente legi, seu magis tuta, hanc esse eligen-

dam, omissa probabiliori favente libertati. Respondet autem posse in duplici sensu. Primus est, si per probabilem veniat pars tuta, & per probabiliorum tutior; & ideo potest quis sacrum facere antequam oret Matutinum, quia hæc sententia est tuta, cum hoc communiter tradant Doctores; opposita autem negans, est tutior, sed improbabilis. Secundus sensus est: Si utraque pars contradictionis est æque probabilis, aut una probabilior altera, & probabilior favet præcepto, & minus probabilis favet libertati, & utraque habet suam probabilitatem ex motivo intrinseco, potest dari casus, quod minus probabilis possit tuto sequi, relicta probabiliori; & tunc est, quando minus probabilis ex motivo intrinseco, per motum extrinsecum redditur certa moraliter, ex. gr. judico probabilis ex motivo intrinseco non licere opus servile die festo per horam; attamen adverte personas doctas, & pias permittere servis, ut extra casum necessitatis per horam laborent; tunc ex hoc exemplo, tamquam medio extrinseco, possum sequi sententiam ex motivo intrinseco minus probabilem, quia propter illud motum extrinsecum possum judicare veram, eam opinionem minus intrinsecum probabilem. Et §. Et quia, ait: Plura sunt hujusmodi motiva extrinseca, que opiniones nostras possunt moraliter certificare, ut autoritas Doctorum, exempla Maiorum, præsumptiones, titulus possessionis, legitima consuetudo, approbatio a tolerantia Superiorum in lege humana, regula ab inconvenienti vivando ..... ideo sæpius accidere poterit casus, ut admitti possit in praxi usus opinionis minus probabilis favens libertati, omisa probabiliori opposita, quæ favet præcepto. Hæc M. Mercor.

In hæc Mercori doctrinam noto 1. eum obligare ad sequendam semper tutiorem, dummodo probabilem, etsi minus probabilem opposita. Constat ex adductis hic n. 89. ad 90. & hoc tam in dubio facti, quam juris. Si ergo affirmat sequendam semper tutiorem, etsi minus probabilem, ergo negat licere sequi probabiliorum, aut æque probabilem, aut minus probabilem, si sit minus tuta. Nota 2. contradictionem; nam ex ll. cc. d. 8. n. 239. & a n. 430. ibi docet intellectum non posse assentiri opinioni æque probabili, stante alia æque probabili, immo neque probabiliori, stante opposita minus probabili; hic autem num. 40. vult debere intellectum assentiri opinioni minus probabili magis tuta, stante opposita probabiliori minus tuta: quod enim opinio minus probabilis sit magis tuta, non ideo fit magis probabilis, sed in suo minoris probabilitatis situ perseverat. Nota 3. aliam contradictionem,

nem, dum enim hic n. 92. ait: *Sapius accide-  
re potest, ut admitti possit in praxi usus opinionis  
minus probabilis favens libertati, seu minus tu-  
tae*, eo ipso docet intellectum assentiri posse  
minus probabilis minus tutae, cum tamen,  
ut constat ex mea d. 8. l. c. docuerit alibi, quod  
intellectus ne quidem possit assentiri proba-  
biliori, stante opposita minus probabili; er-  
go multo minus assentiri poterit opinioni  
aeque, aut minus probabili, stante opposita  
aeque, aut magis probabili. Aliam contradi-  
ctionem dabo in argumentis, quae contra  
nos adducit, ubi docet sequendum semper  
probabiliorum ex traditione Apostolica.

N. 95.  
Nota 4. ex n. 92. tandem esse nostrae, &  
communissimae sententiae admittenti licitum  
opinionis minus probabilis, & minus tutae  
utrum, dum ait: *Sapius accidere poterit, &c.*  
ergo tenebitur solvere omnia argumenta,  
quae contra nostram sententiam trahit: so-  
lum ergo negat nos posse directe assentiri  
opinionis minus probabilis, quae favet liber-  
tati, stante opposita probabiliori, quae fa-  
vet praeepto, quod est pure Philosophicum,  
de reliquo in quaestione Theologica  
convenit nobiscum. Similiter unice negabit,  
nos posse assentiri probabiliori faventi liber-  
tati, stante opposita probabilis favente legi,  
quod etiam est pure Philosophicum. Igitur  
in quaestione Theologica de licito usu mi-  
nus probabilis minus tutae nobiscum con-  
veniet; nam ferè omnes docent nos certifi-  
cari reflexè, ut innuit d. 8. sect. 7. quod ip-  
sum tradit M. Merc. meo n. 92. ubi ex eo-  
dem adduxi motiva extrinseca, quae morali-  
ter certificant opiniones directe minus pro-  
babilis, & minus tutas: ergo inaniter labo-  
ravit, dum nos ad tutiorem simul, & pro-  
babiliorum; & ad tutiorem minus probabi-  
lem obligare contendit. Immo nullus ferè  
ex DD. tuentibus licitum opinionis minus  
probabilis minus tutae usum esse, qui tot trahat  
motiva extrinseca, à quibus opiniones nostrae  
moraliter certificantur, quot adducit ipse  
M. Merc. nam ad hoc, ut sequar opinionem  
minus tutam minus probabilem satis, juxta  
M. Merc. est exemplum, Maiorum praesump-  
tio, &c. Cur igitur doctus Magister  
tot paginas lassavit, cur ad tutiorem eligen-  
dam in omni dubio juris, & facti nos obli-  
gavit, cur definit esse peccatum sequi mi-  
nus probabilem, omnia probabiliori; im-  
mo esse peccatum sequi probabiliorum, si sit  
minus tuta, si tandem docet *sapius accidere  
posse, ut admitti possit in praxi usus opinio-  
nis minus probabilis faventis libertati?*

N. 96.  
Nota 5. plerosque Anti-Probabilistas  
practice contradicere propriae sententiae obli-

ganti ad tutius; ita accidit M. Mercero, nam  
3. p. art. 9. pag. 231. ait, quod si Haereticus  
sit occultus, & certo sciam non habere com-  
plices, non est denuntiandus; ecce sequitur  
directè opinionem minus tutam, nam tutior  
est opposita, esse denuntiandum, licet per  
correctionem speraretur emendatio: & art.  
11. docet, in dubio de restitutione totius non  
teneri restituere totum, quae etiam est opinio  
directè minus tuta: & art. 12. docet, quod  
haeres habens probabilitatem de non obli-  
gatione solvendi legatum, & legatarius ha-  
bens probabilitatem, quod teneatur illud si-  
bi solvere, potest legatarius occulte compen-  
sare sibi mediocritatem legati: ecce iterum di-  
rectè assentitur opinioni minus tutae: & art.  
24. pag. 282. ait, quod Parochus audiens  
confessiones, & passim praebens continentium  
delectationi venereae, non teneatur, ut vitet  
periculum peccati, renuntiare beneficio; sa-  
tis, si jejunct, & oret: & Chirurgus, dum  
ex necessario contactu carnis mulieris ex-  
peritur *sepe se voluntarie delectari*, non tene-  
tur suam artem deferere: & §. Pro resolutione  
pag. 282. dat pro ratione, quia nullus tene-  
tur certum damnum, etsi temporale, maxi-  
mè in rebus necessarijs subire, ut incertum  
damnum spirituale vitet: ecce iterum assen-  
titur directè minus tutis. Combina modo mi-  
lector has opiniones minus tutas, quibus di-  
rectè M. Merc. assentitur, & in praxi sequi-  
tur, cum ejus dicto relato à me n. 90. 91. *Re-  
gula eligendi opinionem non est maior, vel mi-  
nor probabilitas, sed probabilitas cum carentia  
periculi offendendi Deum.* Combina, inquam,  
cum opinionibus, quas sequitur, concedit  
enim Parocho passim praebenti concursum  
delectationi venereae, & Chirurgo ex neces-  
sario mulieris contactu *sepe se voluntarie de-  
lectant*, licet in officio assistere, nec obligat, ut  
periculum peccati vitet, ad deferendum of-  
ficium, cum, eo deserto, nullum sit pericu-  
lum offendendi Deum. Similiter considera  
rationem, ob quam illis opinionibus minus  
tutis assentitur, nempe quia nullus tenetur  
subire certum damnum temporale, maximè  
in rebus necessarijs, ut incertum spirituale  
damnum vitet: considera, quales, an sit in-  
certum, delectatio venerea passim occurrens,  
& frequens voluntaria delectatio venerea. De-  
num compara aetas Mercero opiniones mi-  
nus tutas, cum ejusdem dicto relato n. 91.  
quod nulla minus tuta eligi possit, nisi sit  
certa; quis autem has opiniones certas dicet?  
Ergo vel eligi potest minus tuta, etsi non  
certa; vel si non potest, debet M. Merc. di-  
ctas suas opiniones deferere.